





1706.

1. Carocinus, Georgius Adolphus: De conjunctione Diversorum in Germania territoriorum
2. Gerdessen, Henning Christoph: De usuris rei legatae
3. Palkemius, Johann Philippus: De jure talionis in causa religionis exercendi.
4. Schackius, Johann: De probatione criminis iniquae.

1707.

1. Caroc, Georg Adolph: Dictione academica pro Nepiano in Carpanum: de foeminae numerum publicorum incapacibus.
2. Carocinus, Georgius Adolphus: De dominis publicis ab eminenti et jure imperii diversis.
3. Gerdessen, Henning Christoph: An et quando causa criminalis praeferenda civili?

1707

4. Mayerus, Fridericus: Fr. Georg. Borschaei Braunschw.

De ordinatione ecclesiae ministrorum

1708.

1. Carre, Georg Joseph: De usu juris naturalis in statu
Civilis s. rep. practico.

2. Gerdener, Henni Christophorus: De appignoratione Feudi.

3. Helwigius, Christoph: De antimonio, cicuta, et pisce
in aqua Tabulae s. Siluro.

4. Mascovius, Octavius: Specimen potentiae civilis.

5. Mascovius, Petrus: De remediis substitutivis

6. Peltzenius, Fr. Philippus: Programm, quo

de conjugio honorario Rosent et ad corte celebranda
da Virginis portae sacra ... celebrata.

7. Schackius, Joh.: De appignoratione rei animalae.

1708

8. Schackius, Johannes: De affirmatione contractuum
unilateralium.

9. Schackoff, Jacobus: Utrum leges fundamentales
proprie sive oscae leges sint?

1709.

1. Gerdener, Henning Christoph: De sacramentis puerorum.

2. Schackius, Johannes: Ita adaptatus nomen et familiam
patris adoptantis conueniatur?

3. Schackius, Johannes: De iure circa postem

1710

1. Gerdener, Philippus Beltharus: De iuramento in
litern affectionis

2. Gerdener, Henning Christoph: De reuentione
in criminalibus

3. Grub, Nicolaus: Disputatio historico-politica, in qua
presumpta mutatio status Germanici post fata Carolina

forum examinatus et refutatur.

4. Schackius, Johannes: De sancto tempore Quadragesimae
1711.

Schackius, Johannes: De convenientiā et inconvenientiā
communicationis majoris cum Banco Imperiali,
in genere.

1713.

1. Helwigius, Christophorus: De fuligine.

1715

Gerdes, Phil. Baeth: Index nonnullarum errorum
doctrinarum ex Dr. Thomasi fundem. jur. nat.
et gent. magna ex parte selectarum

1718.

Gerdesius, Philippus Baethasar: Dissertationis juris
versaria, exhibens normam et ordinem iudicium
controversiarum feudales in Germania et patria Pomerania

174.

Gorden, Philippus Baldharus: De iuribus reuocatorum,
praecipue circa successorem in bona ingrossorum.

1727.

1. Gordenius, Philippus Baldharus: De paucis haere-
ticorum

2. Mezerus, Joh. Abrahamus: De curatione ulcerum
rebellium.

3. Meyer, Joh. Abrah: Ad Disputationem med. chir. inaug.
De curatione ulcerum rebellium a Do. Joh. Jaco-
b. Cruygers. . . pro obtinendis munus in arte
med. honoribus . . . habendam . . . invit.







274
1708, 1
2
S.
132
9/1
B. C. D.

De

Usu Juris Naturalis in statu Civili
s. Rep. practico

d. 18. Febr. 1708.

Academicæ Exercitationis ergo

publicè different

L. Georg Adolph Caroc,

Fac. Jur. Adj. (2)

&

Bernhard Ulrich de Bilow,

Nob. Pom.

Gryphiswaldie,

Typis Georg. Henr. Adolphi, Acad. Reg. Typogr.

Viro Illustri atque Generoso,
DOMINO
FELICI FRIDERICO
de **FLEMMING,**
Summi per Germaniam Suecicam Tri-
bunalis Assessori longè Gravissimo,
Dynastæ in Iven &c. &c.

Domino Patrono ac Fautori suo,
singulari observantiæ cultu prosequendo,

Ut &
Generoso maximeque Strenuo Viro,

DOMINO
ULRICO de BILOW,
Dynastæ in Grifchow &c.

Inclyti in Pomerania Suecica Ordinis
Equestris Commissario Dignissimo,

Domino Parenti suo, filiali penitus amore
ac reverentia colendo,

Primos hosce in Jure conatus ea qua fas est,
observantia consecrat dicatque

RESPONDENS,

P 3 5



De
Usu juris Naturalis in statu Civili seu
Rep. practico & decisivo.

§. I.



Non est, ut nunc eorum immoremur laudibus, quorum curæ & industriæ Juris Naturalis disciplina suum debet nitorem aptioremque figuram. Tantò sunt conspectiores atque illustriores, quantò certior artis efformatæ præstantia, de qua multi multa dixère. Haut equidem dissimulaverim, nuper illis negotii quicquam faceffivisse authorem libelli: *Licht und Recht*. Id enim sibi sumpsit, ut studii, quod huic vulgo impenditur juri, sive excessus notaret sive abusus, ejusque commendatam tantopere necessitatem redderet dubiam. Ast non defuit, qui, ne bona hæctenus causa in discrimen adduci videretur, memorati authoris argumenta confutatione digna putaverit: peculiari scripto, quod Lipsiæ prodiit sub titulo: *Unschuld und Nothwendigkeit des Rechts der Natur und dessen Lehre*. Qui tamen Anonymus num ubivis bene rem gesserit suam, ac intra controversiæ limites semper se continuerit, id ejusdem Adversario relinquimus conficiendum. Nobis id agitur, ut eorum exemplo, qui Legis Naturalis in confimili statu inque gentium controversiis autoritatem ivère assertum, nunc breviter quædam in *Academica Exercitationis argumentum* commo-

A 2

mo-



moremus de usu ejusdem juris in statu civili seu Rep. *directè* practico & decisivo, prout loqui amant. Scilicet eum intelligimus usum, ut memorata lex naturalis, quiescente quasi civili, in ipsis obtineat rerum argumentis, ut causis in foro exigendis definiendisque normam præbeat, nec ab illa discedere fas sit. Quicquid huic rei operæ impendetur atque temporis, id verò non gratis collocatum iri speramus, non tam ingenii aut iudicii rem acturi, quàm aliis hinc inde & sparsim annotata in unum collaturi. Fiet hoc præsertim studiosæ juventutis bono, cujus in hoc scribendi genere semper & meritò habetur ratio. Novi, nuperrimè Christophorum Andream Remerum Germanicè quædam consignasse *von der Nutzbarkeit des Natürlichen Rechts im gemeinen Leben*. Hannov. 1707. Fateor, Authorem omnia cordatè, complura ex vero scripsisse. Neque tamen cunctos, qui hinc cumulari possunt & solent, casus attigit, præterquam quod non pauca ad usum magis scholasticum & saltem indirectè practicum spectare videantur.

§. II. Illud quidem pro certo assumimus, quòd, licet jus & lumen connatum sit diversum à revelato, attamen in *practica* legis universalis ad facta *Christianorum* casusque forenses *applicatione* versari sic deceat, ne ratio humana *promiscuè* sibi soli relinquatur, sed ut ipsi robor quæramus ac præsidium in jure divino, ut vocant, positivo universali, sacris literis prodito. Scilicet id non abs re bifariam accipitur, vel absolute & simpliciter, quod secundum nonnullos universum liget genus humanum, quale nunc nobis non intelligitur, vel relative

tive & secundum quid, quousq; adstringit omnes, qui sacrae paginae authoritatem receperunt & agnoscunt. Qua posteriori notione jus aliquod positivum universale dari, & respectu legum solis Judaeis latarum appellari suo modo sic posse, nunc satis habetur. Nihil itaq; nos morantur, qui inficiantur aut labefactant existentiam legis positivae, quae omnes omnino teneat homines. Id duntaxat supponimus, praeter jus naturale aliud esse, quod cunctos obliget Christianos, utrumque vero in *usu forensi* perpetuo esse conjungendum. Quo tamen dato haut negabimus, in *schola*, qua certiore & expeditiore docendi discendique ordinem, jus Naturale a positivo universali recte quidem discerni, quamvis & hic modum vix tenere soleant. Videmus, a plerisque non pauca, quae sola sacri Codicis lectione nobis innotescunt, magno cum apparatu, & saepius anxia, quae iudicium torquet fatigatq;, ratiocinatione investigari. Nihil ipsos movet verbum Senecae, qui *plus scire velle, quam satis sit, intemperantiae genus dixit Epist. 88. sub fin.* id quod tamen, opinor, nostra praesertim valet aetate, ubi plerosq; literatos fami magis quam famae inservire oportet, quae arguta fuit phrasia Menagii. *Menagian. p. 366.* Et nescio, an meminerint praecipit Paulini, ut inquiramus in plenam & perfectam DEI voluntatem, *Epist. ad Rom. XII. 2.* quam imperfecto rationis lumine assequi non licet. Certè in vita, in *praxi*, inq; pragmatica negotiorum civilium *Christianos inter* aestimatione de utriusq; luminis, revelati scilicet ac naturalis, discrimine parum aut nihil profutura, ni fallor, est sollicitudo. Ubi prius praelucet, cum posteriori se comparari non patitur, sicuti

& *tunc* minimè refert, siue legem divinam dixeris naturalem siue positivam universalem. Solet equidem jactari, quod sola ratione humana monstranda sit iusti rectique regula, quoties commercium est cum iis, qui nullam prorsus S. S. concedunt auctoritatem nequidem in profanis nec religionis principia contingentibus negotiis. Illud verò, ut in statu naturali, quoad integrarum gentium actus, usuvenire queat; (ubi tamen præcipuus & ferme sufficiens pactorum & usitatorum hæctenus morum respectus haberi solet) certè in statu civili, in quem sermo noster dirigitur, inque negotiis privatis vix obtinebit. Fac, Judæum, Turcam, Anti-Scripturarium, Enthusiastam inter Christianos, aut hos in Turcarum terris contrahere vel delinquere. Annon inspicienda erunt jura loci, ubi gestum est negotium? Vid. infr. §. 17.

§. III. Subit hæc animum cogitatio, quamobrem in acerrima illa cum noviter philosophantibus de investigando jure Naturali contentione nullus adversariorum concedere voluerit disertè fatentibus, sed id agere, ut ineunda cum gentilibus via monstraretur, quo dato nihil aliud consequuntur, quotquot illam juris naturalis methodum, planè seposito divinitus patefactæ veritatis lumine, amant tradere, quam quòd ad gentiles abire illis pro lubitu liceat, atque ibi doctrinæ suæ periculum facere, an sic revocari gentiles ad meliorem rei gerendæ intellectum & usum possint, quam quo huc usque cum aliis, qui revelatam primævæ antiquitatis veritatem profitentes, suas expeditere rationes. Nam ad externum religionis cultum ne quidem per-

pertinere novam hanc, ut putant, Philosophiam suam
 ipsum affirmant. Ceterum & Judaei & Christiani &
 Mahumedani solius sibi relictæ rationis humanæ mo-
 dulo non indigent, longè meliora de omnium rerum
 principio & fine, quo æstimari præcipua juris natura-
 lis dogmata debent, per agnitam revelationem edocti.
 Nisi velimus, operam quoque dandam esse, ut conti-
 nuò in amplissima luce versantes etiam in tenebris mi-
 care quodammodo discant: quòd verò tantum non
 foret ineptire. Neque sic cogitatio nostra, cui nemo
 bonus succensebit, hunc, quem designamus, Philosophi-
 æ articulum cum Theologia confundit, quoniam
 non religionis mysteria, nec veram salutis æternæ œ-
 conomiam, sed historicam facti veritatem, quam, un-
 decunque supperat, sequi omnis Philosophia debet, è
 sacro Codice velut ex infallibili monumento ad rectè
 philosophandum accersit. Et veremur, ne supra gen-
 tiles non saperent illi, si revelatam veritatem, quam
 ratiocinando dissimulant, minimè perspectam habe-
 rent: ad quam, etsi tacitam, nunc suæ rationis nor-
 mam ita componunt, ut minus, quàm Pagani, aberra-
 re deprehendantur. *Conf. Bæcl. Instit. Pol. L. 1. C. 1. pag. m. ii.*

§. IV. Hoc ampliùs præmittendum erat, heic
 quæri tantummodo, num & quando in foro civili re-
 apse valeat, non verò an promiscuè Romano vel Pon-
 tificio juri præferri debeat legum Naturalium autho-
 ritas. Nolumus nunc committi cum juris utriusque
 foribus, queis Anti-civilistarum titulum minimè invi-
 demus, quive illud è foris Germaniæ proscribi penitus,
 perque omnia legis naturalis simplicitatem reduci vo-
 lunt.



lunt. Vereor, ne, dum ipsimet ejusmodi immutationem optare magis, quam sperare audent, imo moraliter, ut ajunt, impossibilem apertè profitentur, & tamen juris Romani nævos cumulant, crebrò quoq; sibi fingunt: domestico quidem judicio, aut nimis curiosam aut minus profuturam Reip. operam navare censendi sint, nisi forsan, posteritati se scribere, gloriari velint. Parum abest, quin huc aptaverim illud Horatii: *Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura*; ne nunc nostrum faciamus judicium Bœcleri in Charact. Vellej. Cap. 5. ad actus & notas inquieti incivilisq; hominis referentis, *ut à jure & legibus ad naturam & rationem provocet, satis gnarus, nihil esse tam impium, cui non aliqua æquitatis species generalibus istis & per indistinctam amplitudinem patentibus sententiis possit conciliari.* Novimus, Lutherum super custodiendo inter Christianos jure Romano consultum peculiari scripto suam exposuisse sententiam, quæ quod haut faverit memorati juris usum tam ambitiosè & licenter damnantibus, colligere, licet ex Seckendorff. *Hist. Luther. L. 1. Sect. 61. §. 177. fol. 305.* Quæ verò aliàs circumferuntur Lutheri in vitia Juris consultorum & judicum investivæ, præve in ipsas detorquentur leges ipsaque judicia. Ita difertè Lutherus ap. Seckendorff. *l. c. L. 3. Sect. 24. §. 93. n. 18. Jura, inquit, semper justa & bona sunt, Jure-Consulti & processus raro add. Sect. 25. §. 99. n. 10.* quanquam & de suo magis foro atque ævo quàm in univèrsum conqueri fortasse, & potuit & voluit Megalander. Vid. omnino Bechstad. *præfat. libri de Bello.*

§. V. E dictis intelligitur, nostræ tractationis ea præsertim esse loca, in quibus utrumque jus & Romanum & Pontificium viget. Ubi verò illud in vim legis receptum non est, ibi, quando statuta loci deficiunt, non potest non esse amplissimus legum naturalium usus practicus, qui & sua sponte incurrit in oculos. Sic de Venetorum civitate, causarum decisiones è jure naturali & Gentium ibidem peti, aliorum fide refert Arthurus Duck *de Usu & Auctoritate juris Civil. p. 194.* Neque incognitum, quòd in Angliæ regno diversa sint juris stricti & æquitatis judicia, quemadmodum & illic æquitati rationisque naturalis dictamini iudices relinquimur memorat Dn. Becmannus *Histor. Orb. P. 2. c. 4. §. 23.*

§. VI. Hisce ita generaliter præstructis, ut nunc eamus in singularia & specialiora, in proclivi est, quoties in Rep. incidit quæstio de legislatione aut dispensatione, in hac quidem causa, tantum non quotidiana vereq; practica, juris universalis notitiam utramque facere paginam. Enimverò illa duo negotia hoc unico reguntur principio: Quæcunque jus divinum universale positivum & naturale simpliciter præcepit aut vetuit, ea quidem immutabilia prorsus sunt & indispensabilia, sed cætera non item. vid. Ziegler. *de jur. Maj. L. 1. c. 5.* Ecquis igitur subortas quæsecuturam legislationem atque dispensationem civilem difficultates expedire, & scrupulum. Principi aut sibimet ipsi sententiam dicere jussio eximere sustinebit, nisi utrumque jus universale probè habeat perspectum. Cui quemadmodum solutio spontè quasi suppetit decisio, ita verò ejusdem juris ignaro ut aqua hæreat, hinc ille fluctuet & distrahatur necesse est.

§. VII.

§. VII. Similiter evidens habebitur juris naturalis in foro civili usus, quando ibi agitur de ignorantia juris excusanda, siquidem vera est communior Dd. definitio, jura humana impune ignorari aliquando, divina verò nunquam. Dd. *ad Tit. w. de jur. & fact. ignor.* vid. Grot. II. 20. 43. Vulgaris præterea est delictorum distinctio, quod alia impingant in civile, alia in naturale jus I. 42. w. de V. S. quorum illa, non hæc, excusat rusticitas. Ergo hîc quoq; usum præstat forensẽ legis Naturalis ac Civiles discrimen. Idem usus se prodit, quum inobedienciæ obtenditur impunitas. Uti enim illa peccato vacat, si quis non paruerit Principum mandatis juri naturali & divino positivo adversis: ita utrumque quale sit, pernitiosè ignoratur. Et quem fugit, quot & quanti sint obligationis, etiam merè naturalis, in foro civili effectus?

§. VIII. Sed forsan hæc aut levia aut plana nimis videbuntur. At, inquis, quinam illi casus, ubi totum civile negotium lege naturali æstimandum venit. Sunt, qui in universum omnes Principum actus, etiam qui intra limites & salutem propriæ Reip. subsistunt, solo hoc jure metiuntur. Aliam nobis monstravit viam, Grotius, qui passim Principum, ut talium, actus ab actibus ipsorum privatis discrevit. *Illic* utimur jure naturali, licet actus Principem inter ejusque subditum processerit Grot. II. II. 5. *in fin.* it. 14. 6. & 16. 31. æquè ac in omnibus causis publicis indiscriminatim, sive exteram contingant civitatem, sive communem propriæ salutem aut singulos modò subditos. Grot. II. 4. 12. Vix itaque est, ut Grotium cum Grotio componas, dum II. 7. II. *in fin.* & 25. quâ successionem & exhereditationem regiam

regiam locum facit legibus moribusque civilibus, queis de privatorum hereditatibus statuitur. Apud Thuanum Lib. 31. Histor. in princip. ad An. 1585. in causa successioneis Heinrici IV. Galliarum regis assertum legitur: *in regnorum successioneis non idem, quod in privatorum hereditatibus, juris esse.* Eadem sedit sententia Thomæ Cragio contra Anglos quosdam, qui Jacobum I. à successione regni Anglicani exclusum ibant ob constitutionem Eduardi III. qua extranei omnes à successione feudorum Anglicanorum arcebantur. *Non semper, inquit, Lib. I. feud. dieges. 12. pag. 96. esse easdem leges successio- num in regnis, quæ in privatorum hereditatibus; hæc à privatis regni statutis sive legibus pendere, illas privatorum legibus non esse obnoxias, sed naturalem æquitatem & jus universale gentium & Rerump. quæ bene constitutæ sunt, respicere.* Sic & pernegabant Hispani, jus devolutionis circa successiones privatas in Brabantia ad publicam ipsius Ducatus pertinere. Quo ipso tamen in funesto plerumq; successio- ni Regiarum certamine fundamentales regni leges, vel quæ usum & observantiam ostendunt, exempla minimè supponuntur, quemadmodum & juri Civili suus hic manet usus, si non legalis, tamen, ut vocant, dogmaticus. Quam in rem lectu digna sunt B. ill. Obrechtii *Academica pag. 510. Orat. 3. de usu juris civilis in decidendis controversiis publicis.*

§. IX. E converso in actibus causisque Principum privatis (quorsum pertinent omnes, quæ nec imperium nec dominium publicum concernunt) juri civitatis, cui præest Princeps, locum concedit *Grot. II. II. 5. in fin. & II. 14. 6.* Ille tamen, si velit, potest, *dum agit vel contrahit*, suos actus, etiam privatos, privati juris nexu solvere, ut proin illos mero jure Naturali dijudicare

B

con-

conveniat *Grot. d. Cap. 14. §. 2.* Cæterum an id facere voluerit, ex circumstantiis æstimandum erit, *Grot. l. c.* In dubio quidem magis est, ut Princeps privatim eo gessisse animo præsumatur, ut actus communem sequantur juris privati regulam. *Grot. l. c.* Ex quo leges, quæ actus quosdam simpliciter, aut si is, qui læsus est, velit, irritos faciunt, locum & hinc habebunt, quasi sub ea conditione contractum foret. *Grot. l. c.* Aliter Pufend. *de Jur. Nat. & Gent. l. IX. 10. 4.* ibi: igitur scilicet scientes volentes. Multò magis Principum liberi & uxores ipsiq; qui imperio se abdicarunt, Principes legibus civilibus adstringuntur. Vid. Menoch. *Conf. 246.* ubi latè disquiritur, num statutum Ferrariæ Ducum filias liget. De Ptolomæo, quòd, cum filio regnum tradidisset, ipsi ut privatus officium fecerit, legitur ap. Justin. *Lib. 26. Cap. 2.*

§. X. Pari ratione, quando Princeps in exterâ civitate tales celebravit actus, qui ad causas gentium non spectant, ejusmodi facta non naturali sed civili jure regi, verius est. Et passim tradi videas, Principem advenam hospitis terræ legibus quoad actus ibi gestos; (puta privatos) adstringi. Vid. Vasqu. *l. contro. ill. Cap. 22. n. 99.* Houtuynus *Pol. gen. §. 47. n. 2.* Arnif. *ole jur. Maj. L. 3. Cap. 6.* D. Coccej. *de fundat. in territor. potest. Cap. 3. §. 12.* Pro ratione ipsis est: Principem, qui extra suæ Reip. limites degit, privatorum numero haberi. Hos verò, quoties peregre quid agunt, civitatis exteræ statutis moribusque teneri, quis est qui ignoret? Dd. *ad l. 6. 7. de Evict.* *Grot. II. n. 5.* Vid. *infr. §. 17.* Rectè tamen hinc distinxeris id quod præcisi juris, ab eo, quod prudentiæ, humanitatis atque decori est. Appositè hanc

in

in rem D. Coccej. l. c. è dignitate summorum Principum videri, ut ultro quidem & in venerationem Principalis fastigii principibus peregrinis & hospitibus indulgeant, & hospitalitatis comitatusque officiis potius, quam rigida potestatis in eos affectatione certent. Sed totum hoc humanitatis est, magnaque cum generositatis laude conjunctum. Hinc nec laudari solet Venetorum facinus, qui Imperatorem Græcorum Calo Joannem Venetias transeuntem ob æs alienum carceris aut arresti molestiis implicuerunt, memorante Zwingero in *Theatr. vitæ human.* Vol. 3. L. 2. fol. 666.

§. XI. E traditis ferè jam mente præcipitur, quænam sint inspiciendæ leges in Legatorum negotiis. Quæ quidem publico mittentis ac totius exteræ civitatis nomine pertractantur, sunt causæ gentium, in quibus juri civili nullus conceditur locus. Quòd verò attinet ceteros Legatorum actus in legationis loco gestos & præsertim eos, qui ipsum contingunt Legatum; desuper disceptatur vel apud Principem, qui miserat, aut in judicio ejus, ad quem missus est Legatus. Quod posterius *sola juris ratione* fieri posse, nunc supponere liceat per tradita summi Jcti D. Coccej. de *Legato Sæto sed non impuni* Cap. 3. Utroque autem in casu hætenus non occurrit, cur abeamus à regula, per quam actus advenarum æstimantur jure civitatis, in qua gestum est negotium. Quæ regula sicuti valet, utut alibi e. g. in loco domicilii moveatur actio *Mov. ad Jus Lubec. quest. prælim. 6. n. 38. seqq.* item de *Arrest. Cap. 15. n. 16. seqq.* Brunn. *Cent. 5. D. 94.* ita & valebit, quoties Legatus in ordinario domicilii foro judicium accipere cogitur.

B 2

§. XII

§. XII. Hoc loco aurem nobis vellicat vexatissima Dd. quæstio, num causæ statuum Imperii Germanici publicæ mero jure Naturali exigendæ veniant? Fateor, hanc in rem ultro citroque in schola disputari graviter posse. Ferè enim pendet hæc quæstio ab alia de forma Imperii nostri, super qua miro animorum motu contentionis serra reciprocari nondum desit, Cæterùm in ipso rerum usu inque judiciis Imperii hæc causas jure Romano feudali & Canonico æstimari, nos docent observantiæ Imperialis callentissimi, quorum testimonio cur hic acquiescendum non sit, nihil equidem causæ videmus. Planè causas statuum Imperii Evangelicorum Ecclesiasticas, nominatim matrimoniales, jure duntaxat universali dijudicandas esse, vulgò adstruitur. Utrum verò leges civiles pænales Eorundem delictis aptare par sit, hæsitante ac scrupulosè definiunt juris publici scriptores. Et plerisque durum nimis videtur pronuntiatum Bersii de *Pact. famil. ill. Cap. 8. pag. 447. Dux vel Comes in alterius Ducis vel Comitis provincia si delinquat, quis ibi apprehendi & puniri de jure civili possit, non puto ambigendum.*

§. XIII. Quid verò? Annon pactiones, quæ in mari fiunt, aut in vacuo loco aut inter absentes per literas, solo naturali jure censendas esse putabimus cum Grotio de *J. B. & P. II. n. 5. in cujus sententiam nuper discescit Cl. D. Hert. in Annot. ad Pufend. L. 3. c. 6. §. 5. lit. d. item in Opusc. Tom. I. p. 208. & p. 346. 347.* Utrum vero rectius ejusmodi in casibus cum Pufendorff. l. c. sequimur jura loci, in quo judicialis oritur contentio. Dixerit fortasse Practicus, quâ ordinem figuramque processus

cessus judiciarii standum esse illis ipsis, quæ Pufendor-
 fio memorantur, legibus. vid. Mev. & Brunn. l. c. Mev.
 P. 5. D. 241. Verùm si ipsius pacti literarii inter absen-
 tes habitus & valor introspectiendus sit, nihil ambigo,
 quin in foris, Germaniæ præsertim, jura loci contra-
 ctus prævaleant. Ille verò non uno semper perficitur
 modo. Fac, qui misit Epistolam, desiderasse respon-
 sum suspendendæ tantisper & differendæ obligationis
 gratia. Tunc contractus eo in loco suum consequitur
 robor, in quo leguntur responsoriæ. Si verò epistola
 simpliciter perscribitur animo semet obligandi, statim
 atque alter suam fecerit mittentis voluntatem, (quod
 optimè monstrat epistolæ tenor & stylus) annon con-
 ventio ibi perficitur, ubi ejusmodi literæ redduntur &
 acceptantur?

§. XIV. Nec esse videtur, ut in Grotii sententi-
 am pertrahatur, tum quòd tantum hic conferat locus mit-
 tentis epistolam, quantum respondentis, tum quòd
 ob absentiam alter alterius jura ignorare præsumatur.
 Qua posteriori ratione id duntaxat effici videtur, ut
 ignorantia pœna, non ut ipsius legis authoritas cesset,
 ne alioquin illa ipsa præsumptione omnium facile ad-
 venarum actus subducantur legum civilium obliga-
 tioni.

§. XV. Facilius dari Grotio poterit, quoties in
 mari aut loco, civili imperio vacuo, conventum est, id
 pacti genus naturali jure regi, puta si pacificentes diver-
 sorum domiciliorum diversis utantur legibus. Tunc
 enim utriusque domicilii jura colliduntur, nec inspicere
 possunt loci actus jura, quæ heic nulla sunt. Extra
 hanc

hanc verò speciem, si ejusdem loci cives in vasto Oceano inque loco vacuo contrahant, quid vetat, quò minus tunc valeant communis patriæ jura?

§. XVI. Illud tralatitium est, in causis summaris quà formam processus attendi tantummodo debere, quæ naturaliter ad illius substantiam requiruntur. *Dd. ad tit. x. de judic.* Qualia sunt 1. Citatio, 2. Brevis narratio sive expositio causæ, 3. Petitio, 4. Probationes, quæ judici fidem facere possunt, 5. Cognitio causæ sufficiens, 6. Sententia absque prævia conclusionis formula. conf. post alios processuum Scriptores Marquard. *de jur. Mercator. & Commenc. L. 3. Cap. 7. n. 9.* Idem cum aliis author passim est, in causis mercatorum plus dandum esse æquitati naturali, quam legum civilium apicibus, æquè ac in causis testamenti militaris. Nec minus valebit jus Naturale in causis Protestantium Ecclesiasticis, præsertim iis in terris, ubi omnino nulla est juri Pontificio autoritas, quemadmodum in Marchia Brandenburgica ferè usu venit teste D. Stryck. *in not. ad Brunn. Jus Eccles. L. 1. c. 3. p. 39.* & sicuti nuper S. Cæsaream Majestatem inter & S. Reg. Maj. Sueciæ in causis Evangelicorum Silesiæ conventum legitur: *In causis Matrimonialibus Aug. Confess. homines decisioni juris Canonici aut judicio Catholicorum non subjicientur.*

§. XVII. Dictum aliquoties, actus advenarum, hospitis terræ legibus regi. Quod & verum putamus quà advenas exteræ prorsus civitatis, puta si Danus aut Suecus in Germania cum Germano, aut hic illorum in patria cum iisdem contrahat. Non equidem apparet, cur hic cum nonnullis juri Naturali locum demus. Sunt & illi ipsi advenæ temporarii velut subditi, hac
taci-


tacita conditione recepti, ut suos actus ad terræ, quæ tantisper eos alit, jura conforment. Olim apud Romanos causis peregrinorum præerat judex, peregrinus Prætor dictus, quem in iis merum jus naturale secutum esse, non reperio, nisi quod ita scripserit Seldenus *de Synedrionis Hebræorum L. 2. cap. 3. p. m. 84. in fin.* In Anglia quondam, auditores hinc inde deputati erant, qui iudicii ordinarii formulas non sequentes Peregrinorum invicem causas ex æquo & bono tantum dirimerent, referente Seldeno *l. c. p. 716.* In Italia exteros contrahentes quæ formam processus non quoad merita causæ statutorum, legibus teneri memorat Arthur. Duck. *de Usu & Auth. jur. Civil. p. 205. §. 31.*

§. XVIII. Si porro quæras, num obsidis, num captivi pactiones mero jure Naturali definire par sit, id non habeo affirmare. Neque enim est, opinor, cur eorum actus aliter sint censendi, quam reliquorum advenarum. Ajunt tamen, obsides & captivos esse in statu naturali. Certè non sunt, quatenus quid gerunt in extera civitate. Eadem ratione, si hostes in loco hostili *privatim* contrahant, jura loci inspicienda erunt. Diximus *privatim*. Quoties enim publico nomine paciscuntur hostes, sunt in statu naturali, ubi cessat legum civilium autoritas. Id verò ad nostram, non pertinet tractationem, quæ in statum civilem dirigitur.

§. XIX. Tandem, si Princeps subditos mero jure Naturali agere e. g. testari permiserit, aut eodem jure actum jam perfectum definiri velit, hisce in casibus, licet rarioribus, quis equidem negaverit usum memorati juris practicum? Id verò palam est, sola privatorum voluntate effici haut posse, ut eorum
actus

actus e. g. testamenta mero naturali jure sustineantur & dijudicentur. *l. 33. §. π. de Pact. l. 55. π. de Legat. 1.* Nec turbare quenquam debet *l. 88. §. fin. π. de Legat. 2.* Quae lex vulgo accipitur de testamento clausula codicillari, ut vocant, tacita munito vi ejus illud, etsi non ut testamentum, nihilominus ut Codicillum valere responsum fuit. Constat aliàs, ut hoc obiter inque vicem corollarii subjiciamus, M. Lutherum ultimam condidisse voluntatem sub clausula: *Zulezt bitz ich auch jedermann / weil ich bey dieser Begebniß oder Erbhaeding nicht brauche der Juristen Form, dazu ich Ursache gehabt/man wolte mich lassen seyn die Person/die ich doch in der Wahrheit hindero man glauben und trauen mag mehr denn einem Notario. Nostram si quis si scire velit sententiam, dixerim, hanc dispositionem tali carere potuisse clausula.* Enimvero non tam testamentum pressè sic dictum esse videtur, quàm Codicillum, quo legatur uxori omnium bonorum ususfructus. Qualis dispositio in se spectata citra testamenti solemnitates, clausula licet non adjecta, subsistit, quamvis quinque testium defectus (*Tres enim una cum ipso Luthero subscripserunt Codicillum*) hujus valorem juris communis ratione dubium reddere, videri posset.

Tantum!



(x228 2796)


ULB Halle

3

005 372 038







1708, 1
B. C. D.
De
Usu Juris Naturalis in statu Civili
f. Rep. practico

d. 18. Febr. 1708.

Academicæ Exercitationis ergo

publicè different

L. Georg Adolph Caroc,

Fac. Jur. Adj. (2)

&

Bernhard Ulrich de Bilow,

Nob. Pom.

Gryphiswaldie,

Typis Georg. Henr. Adolphi, Acad. Reg. Typogr.